facie ad faciem cum videri nequeat ipso teste. De Moyse scriptum est quod ex ceteris qui
dominum prophetis per visiones et somnia, Moysi vero facie ad faciem loque
batur. Quantum ad plenam tamen visionem nec ipse Moyses dum viveret in hoc
mundo inspicere potuit faciem ipsius visione quod sicut ipse ait: Non vide
bit me homo et vivet. Non videbit nisi in hac vita. Non videbit quis
faciem meam in hac via et in processione ista. Ipse vero pro magna pietate
sua donet nobis sic in eius processione proficiente dum vivimus in
magna illa processione qua cum sanctis omnibus a patre suscipiendus est
et videbimus regem decoris patris summa cum iocunditate cum ipso ingredi merea
mur. ¶ Feria quarta de passione domini sermo.

Vigilate animo fratres ne infructuose pretereant vos huius temporis
sacramenta. Copiosa est benedictio. Date receptacula munda, devo
tas animas, vigiles sensus, affectus sobrios, puras conscientias exhibe
te tantis carismatibus gratie. Nimirum tamen admonet vos sollicitudinis
huius non modo specialis ipsa quam professi estis sed et generalis
ecclesie observatio cuius filii estis. Universi siquidem christiani circa hanc
septimanam aut solito aut preter solitum pietatis aliquid modestie exhi
bent, humilitatis sectantur, induunt gravitatis, ut Christo patienti quodammodo
compati videantur. Quis enim tam irreligiosus qui non compungatur?
Quis tam insolens ut non humilietur? Quis tam iracundus ut non indulge
at? Quis tam delicatus ut non abstineat? Quis tam luxuriosus ut
non contineat? Quis tam malitiosus ut non peniteat? His diebus et merito
quidem. Nempe adest passio domini usque hodie terram movens, petras scin
dens, aperiens monumenta. Prope est enim resurrectio eius in qua solemp
nitatem celebrabitis altissimo domino utinam usque in altissimam que fert
magna alacritate et aviditate spiritus suscipientes. Nichil in hoc mun
do melius fieri quam quod a domino factum est his diebus. Nichil hoc mundo utilius
potuit commendari quam ut ritu perpetuo singulis celebretur annis
memoriale eius in desiderio anime et memoriam habundantie suavitatis eius
eructet. Utrumque autem exigit nos ipsi, utrumque nobis fructus salutis in
utraque vita spes nostra. ¶ Mirabilis passio tua domine Ihesu que passiones
omnium nostrum propulsavit, propitiatur omnibus iniquitatibus nostris et nullis
unquam pestibus nostris invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem quod non tua
morte solvatur? In hac ergo passione tua tria specialiter convenit intueri:
opus, modum et causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa ca
ritas commendatur. Patientia autem singularis quia cum sulcarent super dorsum eius fabri
cantes peccatores, cum sic extenderetur in ligno ut dinumerarentur omnia ossa
eius, cum fortissimum illud propugnaculum quod custodit Israel undique forare
tur, cum foderentur manus eius et pedes, sicut agnus ad occisionem ductus
sit et tamquam ovis coram tondente non aperuit os suum, non adversus
patrem murmurans a quo missus fuerat, non adversus humanum

generis pro quo que non rapuit exsolvebat. non denique vel tenuem quidem ipsum
peculiare sibi a quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur
aliqui pro peccatis suis et humiliter sustinent. hec ipsum tamen eis ad patientiam re
putatur. Flagellantur alii non tam pro gravibus quam pro probandi et coronandi causa et ma
ior in hiis patientia commendatur. que non maxima consistat in Christo qui in funi
culo hereditatis sue ab hiis quibus specialiter salvator advenerat crudelissima
morte mulctatur. sicut nullum omnino peccatum nec actu proprio nec contractu sic nec
in quo contraheret posset habens. Ipse nimirum in quo habitat omnis plenitudo divinita
tis non umbratice sed corporaliter in quo deus est mundum sibi reconcilians non
figurative sed substantialiter qui denique plenus est gratie et veritatis non coop
erative sed personaliter ut faceret opus suum. Alienum est opus eius ab eo sicut Ysay
as loquitur. quia et opus suum fuit quod dedit ei pater ut faceret. Et alie
num fuit ab eo ut talis talia sustineret. Habes ergo in opere patientiam.

De humilitate Christi admirabili

Nam modum ipsum si diligenter attendas non modo mitem agnosces sed et hu
milem corde nempe in humilitate iudicium eius sublatum est cum nec ad tan
tas blasphemias nec ad falsissima que sibi obiciebantur crimina responderet.
Vidimus insuper eum et non erat aspectus. non speciosus pre filiis hominum sed oppro
brium hominum tamquam leprosum et novissimum virorum plane virum dolorum
a deo percussum et humiliatum ita ut non esset ei species neque decor. O novissi
mum et altissimum. o humilem et sublimem. o opprobrium hominum et gloriam
angelorum. Nemo illo sublimior nemo humilior. Denique sputis illitus est
opprobriis saturatus est morte turpissima condempnatus est cum scelera
tis reputatus est. Nichil ne merebitur vel ista humilitas que hunc habens mo
dum ymo que tamen est ultra modum. Sicut enim patientia singularis sic et humilitas
admirabilis utraque sine exemplo. Utramque tamen magnifice causa ipsa commen
dat.

De caritate Christi nimia qua dilexit nos

Nimirum caritas est. Propter nimiam enim caritatem suam qua dilexit
nos deus ut servum redimeret nec pater filio nec sibi filius ipse pepercit.
Vere nimiam quia et hec mensuram excedit modum superat plane superemi
nens universis. Maiorem hac caritate nemo habet quam ut animam
suam ponat quis pro amicis suis. Tu maiorem habuisti domine ponens
eam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus per mortem tuam et tibi
reconciliati sumus et patri. Quenam ergo videtur alia vel fuisse vel esse
vel futura huic similis caritas. Vix pro iusto quis moritur tu pro iniustis
passus es moriens propter delicta nostra qui venisti iustificare gratis pec
catores. servos facere fratres captivos coheredes exules reges. Nec sane
aliud aliquid patientiam hanc et humilitatem eque illustrat quam quod tradidit
in morte animam suam et peccatum multorum tulit et pro transgressoribus rogavit
ut non perirent. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. quia enim voluit
oblatus est non modo voluit et oblatus est sed quia voluit. Solus nimirum po
testatem habuit ponendi animam suam nemo eam tulit ab eo. Cum accepisset
acetum dixit Consummatum est. Nichil restat implendum. iam non est

quod exspectem.

quod exspectetur. Et inclinato capite factus obediens usque ad mortem
tradidit spiritum. Quis tam facile cum vult dormit? Magna quidem
infirmitas mors sed plane sic mori virtutis immense est. Nempe quod infirmum
est dei fortius est hominibus. Potest humana vesania sibi ipsi in mortem
violentissimas inicere manus. Sed non est hoc ponere animam suam. Vergentem
eam magis et violenter abrumpere quam ad nutum ponere est. Tibi ipse
iuda misera plane facultas fuit non ponendi animam sed vendendi. Non
tradente te sed trahente laqueo nequissimum ille spiritus exivit non a
te sed emissus. Solus in morte tradidit animam suam qui solus virtute
propria est regressus ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi qui so-
lus facultatem eque liberam habuit resumendi imperium habens vi-
te et mortis. Digna ergo caritas tam inestimabilis, humilitas tam
admirabilis, patientia tam incomparabilis. Digna plane tam sancta tam imma-
culata hostia tam acceptabilis. Dignus est agnus qui occisus est ac-
cipere fortitudinem fortem ad quod venit tollere peccatum mundi. Ego
autem dico peccatum triplex quod invaluit super terram. Peccatum quod velim
dicere concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum et superbiam vite. Sic
funiculus triplex est qui difficile rumpitur. Propterea multi trahunt
ymo trahuntur hoc funiculo vanitatis. Sed prior ille ternarius non
inmerito prevalet in electis. Quomodo enim non illius patientie recordatio
omnem arceat voluptatem? Quomodo non illius humilitatis consideratio super-
biam vite prorsus expundat? Nam caritas illa digna plane cuius
meditatio sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam ut
omnem vanam curiositatem exsufflet. Fortis igitur contra hec passio salva-
toris. Sed aliud ergo triplex eque peccatum quemadmodum virtus crucis
expugnat dicere cogitavi et id forte validius inducitur. Primum quidem origi-
nale, secundum personale, deinde tertium singulare. Et originale qui-
dem maximum illud delictum vocatur quod a primo adam contraximus in quo
peccavimus omnes pro quo morimur universi. Maximum plane
quod sic non modo totum humanum genus sed et quodlibet ipsius generis occu-
pat ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine in no-
vissimum protenditur usque et in singulis quoque a planta pedis usque
ad verticem capitis diffunditur hoc venenum. Sed et letaliter michi olim
mus in universum dilatatur etiam ab ea salicet die qua suum quemque
concepit usque ad eam qua communis eum recepit mater. Propterea unde
grave iugum super omnes et totos filios adam a die exitus de
ventre matris eorum usque in diem sepulture in matrem omnium. In peccatis
concipimur in tenebris confovemur in doloribus parturimur. Ante exitum miser-
ias matres nostras, in exitu more viperarum laceramus. Mirum quod non
ipsi parturientes primam vocem plorationis edimus. Merito quidem
utpote vallem plorationis ingressi ut nobis illud sancti iob. ab omni pre

Triplex peccatum

(De peccato originali

Iob 14 a

possit aperiri. Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur mul-
tis miseriis. Quam verum hoc sit non verba nos docuere sed verbera. Ho-
mo inquit natus de muliere. nichil abiectius. Et ne forte ex ipsa sibi vo-
luptate corporum sensuum quam de sensibus hauriat blandiatur in ipso sui
tam introitu de exitu quoque terreatur audiat et audiat brevi vivens tem-
pore. At ne spacium illud quod inter ingressum et egressum relinquitur
sibi liberum putet. repletur ait multis miseriis. multis et multipli-
cibus miseriis. miseriis corporis miseriis cordis miseriis dum dormit. mi-
seriis dum vigilat miseriis quaqua versum se vertat. Mirum non
ipse quoque natus ex virgine immo factus ex muliere sed benedic-
ta in mulieribus qui legitur ad matrem. Mulier ecce filius tuus. etiam
brevi vivens tempore super terram nichilominus multis repletus
miseriis. In illa brevitate appetitus est insidiis. interrogatus grave-
liis. pulsatus iniuriis. vexatus suppliciis. contumeliis lacessitus. Tunc
hunc sufficere dubites obedientiam que reatum omnem prime prevaricatio-
nis absolvat? Pene verum non sicut delictum ita et donum. nam per
unum est ex uno in condempnationem. gratia autem ex multis delictis in iusti-
ficationem. || Et quidem grave onus delictum illud originale quod non
solam personam inficit sed naturam. personale tamen cuique gravius est cum
iam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis
peccato non modo iam alieno sed et proprio crimine compediti. Singu-
lare vero gravissimum est quod commissum est in dominum maiestatis cum veri-
tatis impii virum iustum iniuste occiderunt et sacrilegas manus in ipsum dei
filium iniecerunt crudelissimi homicide. Immo et si fas est dicere etiam
deicide. quid deo providente ad terram? Ad hec expalluit et expa-
vit tota machina mundialis et pene in antiquum chaos fuit omnino re-
soluta. Ponamus aliquem de regni principibus terram regiam depopu-
lasse crudelitate hostili. ponamus alium qui et esset de genere et con-
silio regis unicum eius filium proditoriis manibus suffocare. Numquid
non penitus sed respectu innocentis videbitur et innocens? Sic est omne pe-
ccatum quantum ad hoc peccatum illud quo serpens fe-
cit peccatum ut de peccato dampnaret peccatum. per hoc enim omne peccatum tam o-
riginale quam personale deletum est. et ipsum quoque singulare eliminatum
est per se ipsum. Argumentum in est a maximo quod nulla mora sit explo-
sum. et certe argumentum. peccatum multorum tulit et pro transgressoribus roga-
vit ut non perirent. Pater ait ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.
Volat irrevocabile verbum tuum domine non revertetur ad te vacuum sed
faciet ad quod misisti. Videmus opera domini que posuit prodigia super
terram. flagellis cesus. spinis coronatus. clavis confixus. affix-
us patibulo. opprobriis saturatus dum tamen dolorum immemor ait
Ignosce illis. Hinc multe miserie corporis hinc multe miserie cordis. hinc

personale peccatum

singulare

dolores huius miserationis huius oleum exultationis huius gutte san-
guinis decurrentis in terram. Vere domine multe sed et misericordie domine multe.
Vincent ne miserie mee? Nam mee miserias superabunt? Vincant
mee tue antique domine. Vincat sapientia maliciam. Magna enim illorum
nequitia sed numquid non maior pietas tua domine? Multum per omnem
modum. Numquid redditur pro bono malum quia foderunt foveam ani-
me mee. Plane foderunt in parte foveam contusiones indignationis plu-
rimas et per maximas iniustitias. Sed quid contra? Numquid ad abys-
sum mansuetudinis tue retribuentes mala pro bonis foveam fode-
runt sed motus non accepit. Non precipitur numquam excedit non infece-
runt et pro retributis malis cumulat bona. Absit ut miserie mee
[illegible] extinguant suavitatem unguenti quod de tuo corpore fluit. Gratia
apud [illegible] tuum viva et copiosa apud eum redemptio. Miserie mortue
re miserie sunt. Miserie morituere blasphemie sunt. Miserie morti-
re exultationes et insultationes quas tibi reddit generatio prava et
exasperans. Tu autem quid? In ipsa elevatione manuum tuarum cum
pertransiret mactatum in holocaustum vespertinum transiret. In ipsa magni vir-
tute incensi quod celos ascendebat terram operiebat inferos respergebat
exaudiendus pro reverentia tua clamas. Pater ignosce illis quia nes-
ciunt quid faciunt. O quam multus est ad ignoscendum. O quam magna mul-
titudo dulcedinis tue. O quam longe sunt cogitationes tue a cogitatio-
nibus nostris. O quam firmata est etiam super impios misericordia tua. Audi rem.
Ille clamat ignosce. Iudei crucifige. Molliti sunt sermones eius su-
per oleum et isti sunt iacula. O caritas patiens sed et compatiens. Cari-
tas patiens est sufficit. Caritas benigna est cumulus est. Non vin-
ci a malo caritas habundans sed vincere in bono malum superhabundans
est. Non enim sola patientia dei sed benignitas dei ad penitentiam iudeos ad-
duxit quia benigna caritas etiam quos tolerat amat et amat tam
ardenter. Patiens caritas dissimulat exspectat sustinet delinquen-
tem sed benigna trahit adducit converti facit ab errore vie sue de-
linquentem denique cooperit multitudinem peccatorum. O cor durum lapideus es
sed lapidem percussis molliorem de quo resonat tinnitus pietatis et
ebullit oleum caritatis. Quo potibus domine descendentes te torrente
voluptatis tue qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordie tue. Patet
igitur quia passio hec potentissima est ad exhaurienda omnia genera peccatorum.
Sed quis scit si datum est michi? Michi datum est quia alii dari non potuit.
Numquid angelo? Sed ille non eget. Numquid dyabolo? Sed ille non
resurget. Denique non in similitudinem angelorum absit aut etiam similitudi-
ne demonum sed in similitudinem hominum factus est et habitu inventus ut
homo. Exinanivit enim semet ipsum formam servi accipiens. Filius e-
rat et factus est tamquam servus. Non solum formam servi accepit ut

subesset sed etiam malis servi ut vapularet et servi peccati ut penam solveret cum culpam non haberet. In similitudine enim hominum non hominis quia plures homo nec in carne peccati nec in similitudine carnis peccati creatus est. Christus autem in universale hominum misteria pressius et profundius se ingessit ne subti lis ille dyaboli oculus magnum hoc pietatis comprehenderet sacramentum ideo habitum et omni habitu inventus est ut homo nec in eo quantum ad natu ram debitum signum aliquod foris singularitatis apparuit quia eum ignora tus est ideo crucifixerunt. Paucis autem revelavit seipsum ut essent qui crederent. reliquis autem absconditus est quia si cognovissent numquam dominum glorie crucifixissent. Ad hoc etiam ille singulari peccatori ignora ciam copulavit ut sub aliqua misterii umbra ignorantibus posset cog nosci. Duo autem nobis in hereditate reliquerat ille vetustus adam qui fugit a facie dei. laborem videlicet et dolorem. laborem in actione. dolorem in passione. Non hoc ipse audierat in paradyso quem acceperat ut operaretur et custodiret illum. operaretur delectabiliter. custodiret fideliter et sibi et posteris suis. Christus dominus laborem et dolorem consideravit ut tra deret eos in manus suas. ymmo se magis in manus eorum. Infixus in limo profundi et intraverunt aque iste usque ad animam eius. Vide nunc ad pa trem humilitatem meam et laborem meum quia pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea. laboravit sustinens. manus eius in laboribus ser vierunt. De dolore vide quid dicat. O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. Vere lan guores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit. vir dolorum pauper et dolens temptatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam actio nem habuit et in morte passionem activam sustinuit dum salutem operatur in medio terre. Proinde memorare eius qui dum fuerit laborum illorum quos pertulit in predicando fatigationum in desaeviendo temptationum in ie iunando vigiliarum in orando lacrimarum in compatiendo. Recordare etiam dolorum eius conviciorum sputorum colaphorum subsannationum exprobra tionum clavorum horumque similium que per eum et super eum habundantius transierunt. Fiunt ergo non fortitudo sicut similitudo sed si accesserit etiam imitatio ut sequamur vestigia eius. Alioquin etiam exquiretur a me sang uis iustus qui effusus est super terram nec immunis ero ab illo tam singulari scelere iudeorum qui videlicet tante caritati ingratus fuerim qui spiritui gratie contumeliam fecerim. qui sanguinem testamenti pollutum dux erim qui conculcaverim filium dei. Sunt plerique qui laborem et dolorem patiuntur. sed necessitatis in eis est non voluntatis. hii non sunt conformes yma gini filii dei. Sunt qui ex voluntate sustinent sed non est eis sors neque pars in sermone isto. Vigilat tota nocte luxuriosus non solum patienter sed et libenter ut suam expleat voluptatem. Vigilat raptor ferro vesti tus ut decipiat predam. Vigilat fur ut domum perfodiat alienam. Sed

In omnes et horum filios longe sunt a labore et dolore quae consederant do-
minus. Homines autem bonae voluntatis qui propria voluntate divinas prorsus
postergantes velut iam non habentes contempserunt relinquentes omnia
propter ipsum sicut et ipse reliquit omnia propter ipsos sequuntur eum quocumque
ierit. Huiusmodi autem invitatio validissimum michi argumentum est
quod et passio salvatoris et filiorum humanitatis in nullo fuerit utilita-
tem. Hec enim super hec factus est et laboris et doloris. Videte ergo
quam magnifica verba sunt terre illa maiestas de omnibus quae in celo sunt
et sub celo dixit et facta sunt. Et quid facilius dicto? Sed numquid
solo verbo factum est ut te quem fecerat reficeret? Triginta et tri-
bus annis super terram visus et cum hominibus conversatus etiam habuit in fac-
tis calumpniatores in dictis observatores non habens ubi caput suum reclina-
ret. Quare hoc? Quia verbum a sua subtilitate descenderat et grossi-
us acceperat indumentum. Verbum caro factum est et in grossiori et morosi-
ori opere utebatur. Sicut autem cogitatio vestitur sibi voce corporeali
absque sui diminutione vel ante vocem vel post vocem. Sic filius dei assump-
sit carnem non commixtione passus nec diminutionem nec ante carnem nec
post carnem apud patrem invisibilis sed hec manus nostre tractaverunt
de verbo vite et quod erat ab initio vidimus oculis nostris. Hec autem ver-
bum quod carnem purissimam et iustissimam assumpsit quam vincerat sibi modera-
batur actiones corporis sui. Tum quia sapientia et iusticia erat. Tum quia nullam
prorsus habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis sue.
Meum verbum nec sapientia nec iusticia est sed tamen utriusque capax et po-
test ei hec abesse et adesse. Abesse autem facilius. Formulare enim in-
nobis est carnis nostre sentire virus quam actiones et passiones eius ordi-
nare pro eo quod omnis etas ab adolescentia prona est in malum nostra flagel-
la queque et gladios etiam sub distinctione mortis ad suas ambiens volup-
tates. Felix enim cogitatio hec est verbum meum omnes actiones suas
ad iusticiam dirigit ut et intentio sana sit et operatio recta. Felix qui
passiones corporis sui propter iusticiam ordinat ut quicquid patitur propter
dei filium patiatur constans et a corde tollat murmurationem et in ore ver-
setur gratiarum actio et vox laudis. Qui sic excutit se iste tollit gra-
batum suum et vadit in domum suam. Grabatum corpus est in quo prius
~~...~~ languidi iacebamus servientes desideriis et concupiscentiis nostris.
Nunc portamus illud cum spiritui cogimus obedire et mortuum non
portamus quia corpus quod corrumpitur mortuum est propter peccatum. Ambulamus
nunc non currimus quia adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam
et deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Ambulamus
etiam in domum nostram. In quam domum? In monumentum quia sepulchra illorum
domus illorum in eternum. Qui sub hoc onere ambulamus postea cum quod puta-
tis quo curremus quo volabimus? Plane super pennas ventorum. Amplex

atis est nos dominus Jhesus per laborem et dolorem suum. Adhaereamus nos quoque ei vicissim quibusdam amplexibus per iustitiam et iustitia sua, actione ad iustitiam dirigendo, passionem propter iustitiam sustinendo. Dicamus quoque cum sponsa: Tenui eum nec dimittam. Dicamus etiam cum patriarcha: Non dimittam te donec benedixeris michi. Quid enim superest iam nisi benedictio? Quid post amplexum nisi osculum restat? Si sic adhaeremus deo, quid iam non exclamare libet: Osculetur me osculo oris sui? Ciba nos interim, domine, pane lacrimarum et potum da nobis in lacrimis in mensura, donec perducas nos ad mensuram bonam et confertam et coagitatam, quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu patris super omnia benedictus in saecula. Amen.

Sermo in cena domini de baptismo et de sacramento altaris.

n sunt dies quos dispensare debetis, dies pleni pietate et gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad poenitentiam provocantur. Tanta siquidem vis est sacramentorum eorum quae diebus istis revolvuntur, ut possit quoque ipsa lapidea saeculi corda et pectus omne licet ferreum emollire sufficiat. Denique videmus ipsis hodie ad passionem Christi non modo caelestia compati, sed terram moveri et petras scindi et in confessione peccatorum aperiri monumenta. Sed non quomodo sic est in spiritualibus cibis sicut est in corporalibus, ut in quibusdam statim praesto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare. Quae manifesta sunt, interpretatione non indigent; quae vero clausa sunt, diligentem volunt habere considerationem. Neque enim tradit mater filio parvulo nucem integram, sed frangit eam. Sic et ego vobis, fratres, si possem, sacramenta quae clausa sunt aperire debueram; sed quia minus possum, utinam vobis intus et in pectore sapientia frangat nuces istas, nuces inquam quas protulit sacerdotalis virga, virga virtutis quam emisit dominus ex Syon. Multa quidem sunt sacramenta, et ad recensendum omnia hora non sufficit; fortassis etiam aliqui vestrum intellexissent ad omnia simul expedienda. De tribus itaque sacramentis quae specialiter huic tempori dicenda erant, quia dominus ipse donavit. Sacramentum dicitur sacrum signum sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum, alia vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur anulus absolute propter anulum, et nulla est significatio; datur ad investiendum aliquem de hereditate aliqua, et signum est, ita ut iam dicere possit qui accipit: Anulus non valet quicquam, sed hereditas est quam quaerebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni dominus de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili praestaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc eucharistiae participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique baptismus, initium sacramentorum omnium, in quo complantamur similitudini mortis eius. Unde et trina mersio tridui quod nunc celebrandum est formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, et ut coepto insistamus exemplo, variae